

2° ADRIANUS *per se* non est excusandus a peccato gravi contra caritatem erga seipsum, quia se exposuit periculo maximæ pœnæ, ut *falsarius*, subeundæ. Excipe, nisi ad periculum illud non adverterit.

3° Nec videtur excusandus a peccato mortali contra justitiam legalem, quæ omnem scripturam falsam sub gravissimis pœnis prohibet; quia, etiamsi nulli inferat præjudicium, id tamen est illicitum et severe prohibitum, ad vitandam fraudum occasionem. Nonnulli tamen docent hoc non esse mortale, apud *Lacroix*, *ibid.*

842. — *R. ad 2^m Quæst. Negative.* Etenim ADRIANUS semel constitutus hæres legitimus ex valido testamento, statim post mortem testatoris acquisivit jus *certum* et *strictum* in hæreditatem, ut patet. Atqui jus *certum* et *strictum*, semel acquisitum, non amittitur per tituli amissionem, sed solum per voluntariam cessionem, seu domini legitimam translationem: ergo ADRIANUS jus suum non amisit. Numquid enim jus *in re*, seu jus *strictum* comburitur, et in cineres redigitur, sicut titulus papyraceus quo probari potest? Minime gentium.

Porro, si ADRIANUS jus *strictum* habet in hæreditatem, non potest injuste agere, si media adhibeat, licet illicita, ad jus illud prosequendum; neque injuriam inurit aliis consanguineis, si eos industria quacumque impediatur ne in hæreditatem deveniant, cum jus nullum in illam habeant.

Objicies: Hæredes alii naturales per fraudem impediuntur, ne ad judicem recurrant. Etenim, seclusa hac tituli simulatione, ADRIANUS sententia juridica ab hæreditate possidenda deturbaretur: ergo impediuntur ne ad judicem recurrant; ergo in jure suo læduntur.

R. Dist. Læduntur in jure suo *putato*, *conc.*; in jure suo *vero* et *stricto*, *neg.* Etenim jus quidem habent ut ADRIANUS jus suum probet, siquidem ei credere non tenentur; sed hoc ex eorum bona fide tantum, seu ex errore provenit: licet enim *formaliter* juste agerent, *materialiter* tamen *injuste* ad judicem recurrerent. Et re quidem vera, si quis eorum testamentum omnibus formis vestitum conspexisset antequam periret, numquid illud tuta conscientia postea impugnare posset? Hinc patet discrimen inter casum præsentem et duos præcedentes: in hoc enim ADRIANUS jus certum habet ex valido testamento; in illis vero legatarii jus tantum probabile ex testamento informi habebant, et per fraudem jus probabile aliorum hæredum destruebant.

CASUS VII.

DISPOSITIO INCERTA.

Cui clamet depositum.

BEATRIX, mulier cælebs, relicta ROSINA sorore sua *Sabianum* consobrinum suum instituit hæredem omnium bonorum quæ in ipso testamento non exciperentur. Postea quinque francorum millia AGATHÆ in depositum committit, nihil adhuc de illis statuens. Sed cum paulo post gravi morbo correpta fuisset, ab ea quærit depositaria quid de pecunia sibi commissa

faciendum sit? « Hac de re postea statuam, inquit BEATRIX, nihil est quod urgeat; nolo tamen ut SABIANO cedat. » Cum hæc dixisset, repente e vivis excessit. Quid autem de pecunia AGATHÆ commissa? AGATHA dimidiam pecuniæ partem sibi servat, alteram partem ROSINÆ tribuens. SABIANUS autem, rem suspicans, minatur mulieres ad judicem se traducturum. Parochus vero consultus contendit pecuniam hanc nullius esse, et proinde pauperibus distribuendam.

HINC :

QUÆR. 1° *Ad quem pertineat illa pecunia? An SABIANO hæredi, vel ROSINÆ consanguinæ propiori, vel AGATHÆ depositariæ tribuenda sit, vel causis piis impendenda?*

2° *An SABIANUS possit eam juridice repetere, vel etiam ante sententiam subripere?*

3° *Quid, si pauperibus fuerit distributa, et depositaria ad eam SABIANO restituendam damnatur?*

SOLUTIO :

843. — *R. ad 1^m Quæst.* Cuiam pecunia clamat? Si confusus apparet clamor, forte solius *audientis* culpa est. Accipe igitur casus solutionem.

1° Pecunia non clamat AGATHÆ *depositariæ*. Quo enim jure depositum sibi tribueret, sive ex *toto*, sive ex parte? Numquid rationem habet thesauri, vel rei inventæ, aut prorsus derelictæ, quæ fit primi occupantis? Minime gentium. Nonne adstant cognati et hæredes quibus pecunia potiori jure clamaret?

2° Non clamat *pauperibus*; pauperes enim repræsentant tantum dominum at hæredem *prorsus* incognitum; in casu autem nostro adsunt plures consanguinei, et quidem proximi. Ergo frustra clamat Parochus pro pauperibus non clamante pecunia.

3° Non clamat ROSINÆ, *sorori* defunctæ. Etenim ROSINA jus habere nequit, nisi ex testamento vel ab intestato, vel ex speciali voluntate defunctæ, extra formam *legalem*. Atqui triplex ille titulus deficit in nostro casu: ergo..... Primo *quidem* non habet jus ex testamento, cum solus SABIANUS legatarius *universalis* constitutus fuerit, nec ipsa ROSINA in jure læsa fuerit; siquidem *soror* inter hæredes necessarios non computatur. Neque jus habet *ab intestato*; nam hæredes non necessarii, licet proximi consanguinei, nunquam succedunt ab intestato, nisi deficiente testamento; atqui in casu non deficit testamentum, cum in favorem SABIANI conditum fuerit. Neque jus habet *ex speciali* intentione extralegali BEATRICES defunctæ: nullo enim *modo* hanc intentionem BEATRIX significavit; imo voluntatem oppositam ostendit, consobrinum SABIANUM, sorore relicta, hæredem *universalem* instituendo.

4° Ergo pecunia clamat SABIANO. Etenim nemo alius jus habet, ex dictis, et ipse solus titulo *legatarii* *universalis* gaudet. Ergo ipsi soli pecunia vere clamat. Ergo ipse *solus* pecuniæ legitime clamare potest.

Dices: Sed BEATRIX *expresse* SABIANUM exclusit ab illa pecunia possidenda. — *R* Non obstante illa declaratione mulieris defunctæ, SABIANUS

semper gaudet jure legali depositum repetendi; manifestatio enim voluntatis BEATRICES non fuit legalis, nec proinde potest destruere, saltem certo jus quod hæres ex testamento valido sortitur. Præterea BEATRIX non exclusit hæredem absolute, sed ea intentione, ut aliam faceret dispositionem; deficiente autem illa dispositione, pecunia deposita ad summam hæreditatis redire debet.

844. — *R. ad 2^m Quæ.* 1^o SABIANUS, si depositum cognoscat, potest certo illud juridice requirere, quia ex lege hæres universalis constitutus est: hæres autem universalis jus habet requirendi legaliter quidquid in testamento non excipitur. Atqui depositum illud non excipitur in testamento: ergo... 2^o Imo potest etiam hanc pecuniam ante sententiam judicis accipere: etenim est hæres universalis, et illa res non excipitur in testamento. Ergo jure merito suam reputare potest.

R. ad 3^m Quæ. Subeunda erit sententia. SABIANUS enim ex dictis juste reclamare potest, cum lex illi faveat. Ergo sententia judicis legi conformis, justa foret; ergo juste damnaretur AGATHA depositaria. Atqui sententiæ justæ semper obtemperandum est: ergo... Suæ enim imprudentiæ tribuere deberet, si pecuniam pauperibus distribuisset. Attamen, si bona fide egerit ex Parochi præcepto, ad hunc restitutionis onus pertinere debet.

CASUS VIII.

TESTAMENTUM INTER CONJUGES.

SERAPIO, CONJUX SYLVIAE, vir infirmæ indolis, se regi ab uxore, licet admodum invitus, sinit. Cum autem filios non habeant, SYLVIA ipsi proponit ut per testamentum omnia bona propria sibi invicem conferant. Annuit vir, duplexque conficitur testamentum. Paulo post autem facti pœnitens SERAPIO, novum conficit testamentum, quo prius ex integro destruitur. SYLVIA, rei inscia, nihil in proprio testamento mutavit. Et mox ipsa moriens, amplam viro hæreditatem reliquit.

HINC:

QUÆR. 1^o *An vel quatenus valeant mutux donationes, vel testamenta inter conjuges facta?*

2^o *An SERAPIO hæreditatem ab uxore acceptam ejusdem collateralibus restituere debeat?*

3^o *Quid, si præfati conjuges juramento testamentum confirmaverint?*

SOLUTIO:

845. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o Ex Jure Romano, generatim invalidæ sunt donationes conjugum reciproçæ, nisi sint juramento firmatæ, vel sint remuneratoriæ, vel donatio mortis causa fiat, etc. — 2^o Ex Jure Gallico, generatim conjuges sibi invicem donare possunt inter vivos vel per testamentum, deficientibus filiis, quidquid extraneo donari posset quoad proprietatem, et insuper usumfructum partis ascendentibus reservatæ;

existentibus vero filiis, quartam partem bonorum quoad proprietatem, et simul etiam quartam partem ratione ususfructus, vel si malunt, usumfructum dimidiæ partis tantum. *Cod. civ., art. 1094-1098.* Donationes autem conjugum reciproçæ sunt omnes revocabiles. *Art. 1096.*

846. — *R. ad 2^m Quæ.* Solutio pendet a diverso jure positivo, juxta modo dicta. Per se invalida est conventio illa, quatenus *irrevocabilis*, quia ex lege testamentum est essentialiter revocabile, nec possunt conjuges quidquam contra legis dispositionem statuere. Ex Jure Gallico omnes donationes reciproçæ conjugum etiam *inter vivos* sunt revocabiles in libertatis gratiam, seu ad impediendum nimis sollicitationis periculum. Ergo SERAPIO hæreditatem retinere potest. Nec dicas eum uti fraude ad conjugem decipiendam; nulla enim fraus committitur, si quis jure suo utitur. Lex autem illa bono publico valde favet; impedit enim ne conjuges in matrimonio violentiam moralem subeant. Ergo non est inquietandus SERAPIO, siquidem conventio quam inivit cum uxore est invalida, quatenus *irrevocabilis*. Potuisset et ipsa mulier suum testamentum revocare, et fortasse revocasset, nisi repentina morte e vivis sublata fuisset. Alia tamen decisio danda foret, si SYLVIA, sub pœna invaliditatis factæ conventionis, conditionem posuisset de monenda comparte in casu mutationis testamenti.

847. — *R. ad 3^m Quæ.* Ex Jure Romano, testamentum juramento firmatum revocari non potest, quia lex hunc casum excipit. Secus vero de Jure Gallico, quod nullam admittit exceptionem. *Juramentum* igitur sequitur naturam actus; atqui actus ex lege *invalidus* declaratur: ergo *invalidum* est etiam *juramentum*. Etenim juramento firmari nequit id quod lex firmare prohibet, secus enim omnes legis dispositiones juramento eludi possent. Si autem in Jure Romano oppositum habetur, id repetendum est ex eo quod lex exceptionem in juramenti favorem faciat.

CASUS IX.

DE LEGATIS 1^o.

1^o DELPHINUS, in exitu vitæ versans, cum prospicere vellet CATHARINÆ, viduæ, pauperi et gravidæ ex marito nuperrime defuncto, necnon futuræ proli, sic statuit: « Lego decem millia francorum CATHARINÆ, sed ea conditione ut sex millia francorum tradat proli nascituræ, si filius sit, quinque vero si filia. » Sed heu! inexpectatus succedit eventus. Mortuo enim DELPHINO, filium simul et filiam CATHARINA peperit. Quare nescit quid sibi de legato sit faciendum.

2^o BENEDICTUS, testamentum condens, ANTONIO, legatario universali instituto, ait: « Lego tribus sororibus BERTÆ, CLARÆ et ANNÆ, mille francos. »

Mortuo autem BENEDICTO, apertoque ejus testamento, lis ingens oritur inter hæredem universalem et tres legatarias. Hæ enim singulæ mille francos repetunt, ille vero contendit mille francos inter tres sorores esse dividendos.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid sibi et quantum filiis CATHARINA tribuere debeat, in primo casu?*

2° *Ad quid teneatur ANTONIUS hæres erga tres sorores, in secundo casu? An ad mille, vel ad tria millia francorum?*

3° *Quid si, testator pecuniam, vel donum legasset modo disjunctivo?*

SOLUTIO :

848. — *R. ad 1^m Quæs.* Quid faciet CATHARINA? Quidnam ipsi permittendum? Juxta mentem legatoris potuisset in omni casu sibi quatuor millia fr. servare. Numquid autem deterioris conditionis esse debet, quia onus multo majus sufferre debet pro expensis quæ ad nutritionem et educationem duplicis prolis requiruntur? Hoc videtur a sensu communi alienum. Servet igitur quatuor millia fr. pro se, sicut servare potuisset si filium tantum genuisset, et sex millia inter filium et filiam dividat juxta mentem donantis, scilicet, *pro rata* proportionem quæ inter 6 et 5 existit. Hinc puer 3,300 circiter, puella vero 2,700 sortietur.

849. — *R. ad 2^m Quæs.* Stante casu ut jacet, de vera mente testatoris constare non potest, si nihil addatur ex quo res pateat. Ergo res dubia est. In dubio hæres ANTONIUS ad majorem obligationem subeundam astringi nequit; ad id enim tantum tenetur quod certo probatur. Ergo mille francos tantum solvere debet. Hæc autem summa inter tres sorores erit dividenda. *Reuter, n. 139.*

R. ad 3^m Quæs. In hac hypothesi optio sororibus esset relinquenda. Videtur enim talem fuisse legantis intentionem, siquidem eis favere voluit. Atqui disjunctio magis ipsis favet, si optio earumdem arbitrio relinquatur. Ergo iis electio relinquenda est. *Reuter, ibid.*

CASUS X.

DE LEGATIS 2°.

DELPHINA, moriens, in testamento quo FABRICIUS hæres instituitur, legat FULVIÆ quidquid in vestiario reperietur; sed ecce, ipsa mortua, in vestiario, præter vestes et ornamenta, reperitur summa 500 francorum; hanc arripit FULVIA, eam repetit FABRICIUS hæres, eandemque reclamât superveniens PAROCHUS, quia defuncta ibi solebat reponere pecuniam in piâ causâ erogandam.

HINC :

QUÆR. 1° *Cuinam pertineat pecunia in vestiario reperta? An Legatariæ, vel hæredi, vel Parocho, in primo casu?*

2° *Quid si DELPHINA vestiarium simpliciter legasset?*

SOLUTIO :

850. — *R. ad 1^m Quæs.* Parochus nihil omnino pro pauperibus repetere potest. Non valet enim ratio ab eo adducta, scilicet DELPHINAM so-

lere in hoc loco recondere pecuniam pauperibus destinatam, quia est simplex præsumptio, quæ jus certum hæredum infirmare nequit. Insuper, si testatrix voluisset hanc pecuniam pauperibus destinare, suam intentionem manifestasset, cum ad omnes suas dispositiones attenderit.

2° Videtur pecunia pertinere ad FULVIAM; nam, quando DELPHINA ei legavit quidquid in vestiario reperiretur, idem est ac si dixisset: « Lego omnia quæ sunt in loco ubi vestes asservantur; » proinde non agitur tantum de vestibus, sed de re quacumque in vestiario existente.

R. ad 2^m Quæs. In hac hypothesi pecunia ad FABRICIUM hæredem pertineret, non vero ad FULVIAM vestiarii legatariam; quia pecunia inter vestes minime comprehenditur. Tunc enim intentio testatricis esset, omnes vestes, omniaque linteamina sua, FULVIÆ legare et nihil amplius.

CASUS XI.

DE LEGATIS 3°.

CLEONIPHAS hæredem suum universalem AMEDÆUM instituit, cum onere ut 600 francos fabricæ Ecclesiæ retribueret. Sed ecce! morte repentina corripitur AMEDÆUS; paulo post moritur et ipse testator, quin testamentum aliud confecerit. Hæreditatem adit PASCHASIUS, *ab intestato* succedens. Ab eo Parochus legatum pium in Ecclesiæ favorem requirit. Sed illud solvere renuit PASCHASIUS.

2° MERCORUS promiserat centum aureos PUBLIO in testamento legandos. Sed repentino morbo correptus, et jamjam moriturus, ad se filium suum ANDREAM accersit et ait: « Volo ut centum aureos PUBLIO tribuas. » His dictis, intestatus decedit.

3° RANULFUS hæres universalis a LÆLIO, avunculo suo, institutus, ab eo extreme decumbente rogatur ut notarium accersat. Timens autem RANULFUS ne testator voluntatem suam ultimam immutet in sui præjudicium, moram protrahit usquedum avunculus animam efflaverit.

HINC :

QUÆR. 1° *An PASCHASIUS, in primo casu, ad legatum Ecclesiæ solvendum teneatur?*

2° *An ANDREAS, hæres in secundo casu, legatum PUBLIO solvere debeat? Et an PUBLIUS, illo renuente, se compensare possit?*

3° *An RANULFUS ad aliquid restituendum teneatur?*

SOLUTIO :

851. — *R. ad 1^m Quæs.* PASCHASIUS ad nihil prorsus tenetur. Etenim nulla obligatio ei imposita est, siquidem *ab intestato* succedit. Quare igitur pia intentio defuncti ipsi adimplenda imponeretur, cum ab ipso nequidem fuerit hæres constitutus?

Dices: Pia legata certo cognita solvenda sunt de Jure canonico, contra quod nulla lex civilis prævalere potest.

R. Dist. Solvenda sunt ab eo cui imposita sunt, si hæreditatem con-

sequatur, *conc.*; ab alio cui non fuerunt commissa, et qui accipit hæreditatem *ab intestato, neg.*; atqui in casu solus AMEDÆUS hæres constitutus fuit, non vero PASCHASIUS : ergo PASCHASIUS ad nihil tenetur, licet hæreditas ad ipsum devoluta fuerit. Sed neque tenetur hæc pia legata solvere AMEDÆUS qui hæreditatem non accepit : ergo *per accidens* a nemine solvenda erunt. Ergo frustra reclamatur Parochus.

852. — *R. ad 2^m Quæ.* ANDREAS hæres *probabiliter* non tenetur legatum patris adimplere, saltem *per se*, quia modus ille disponendi non est legi conformis; non enim valet *probabiliter* legatum, nisi in valido testamento constituatur. Excipe, nisi filius patri promiserit se ejus voluntatem adimpleturum esse, quia tunc interveniret contractus implicitus, quo filius susciperet obligationem de jure naturali legatum adimplendi. Etenim pater, in promissione filii fidens, ab alia via tuta legatum transmittendi abstinuit. Dixi *probabiliter*, quia de hoc acriter *controvertitur*, ante iudicis sententiam. Duplex igitur est sententia *probabilis*. Alii enim obligationem de *jure naturali* voluntatem morientis exsequendi urgent; alii vero legis dispositionem opponunt. *S. Lig. n. 927, cum aliis multis.*

853. — *R. ad 3^m Quæ.* Male egit sane RANULFUS. Sed an ad restitutionem teneatur, non liquet nisi ex gravi ratione putaverit aliquid tali vel tali legandum. Si tamen cum fundamento existimet avunculum aliquid esse quidem alicui donaturum, sed nesciat cuinam, pro rata dubii causis piis restituere debet. Non debebat enim promittere se notarium advocatum esse, sed aliquo modo se excusare, et tunc avunculus aliud medium notarium advocandi adhibere potuisset.

CASUS XII.

LEGATA CONDITIONATA.

CALEPODIUS, prole carens, testamento sic de bonis disposuit : 1^o TITUM hæredem suum universalem constituit ea conditione, ut uni e filiabus MARIÆ nubat. 2^o Legavit domum suam uxori, et pretium nepti, si utraque caste vivat. 3^o Legavit mille nummos in dotem erogandos puellæ orphanæ, a Parocho designandæ. Defuncto autem CALEPODIO, TITUS hæres postulavit a MARIO, testamenti conscio, ut filiam natu majorem sibi in conjugem concederet. Sed ista consensum prorsus denegat. Ipse vero TITUS respuit alteram filiam, sibi oblatam, et matrimonium inivit cum ANNA familiæ MARIÆ extranea. Uxor CALEPODII, post aliquod viduitatis annos, ad secundas nuptias convolvit. Neptis vero in secretum fornicationis crimen incidit. Parochus autem puellam elegit, parentes quidem habentem, sed miserimos et præ senio infirmos, cui dos supra enuntiata traderetur.

HINC :

QUÆR. 1^o An TITUS *adire* possit et *retinere* hæreditatem *spectatis casus adjunctis*?

2^o An *uxor et neptis* CALEPODII possint *tuta conscientia* frui *legato ipsis assignato*?

QUÆR. 3^o An *dos tradi potuerit puellæ, parentes quidem habenti, sed miserimos et inutiles*?

SOLUTIO :

854. — *R. ad 1^m Quæ.* TITUS non potuit adire neque retinere hæreditatem, quia conditio a testatore posita fuit honesta, et non adimpleta. 1^o *Fuit honesta* : nam testator noluit urgere TITUM ad nuptias invisas, sed reliquit ei libertatem ut inter duas puellas honestas eligeret; noluitque ut hæreditas sua ad TITUM perveniret, nisi posita illa conditione. Testator enim familiæ MARIÆ evidenter favere voluit. 2^o *Non fuit adimpleta* : quippe filia priore consensum denegante, restabat adhuc altera consentiens, et oblata. Nihil igitur obstabat, quominus hanc duceret. Ergo, si noluit, jam conditionem non adimplevit; ergo conditio effectu suo caret; ergo TITUS ab hæreditate discedere debet.

855. — *R. ad 2^m Quæ.* *Affirmandum* est. 1^o Quoad uxorem. Uxor potuit transire ad alias nuptias, quin legatum amitteret. Etenim non violavit conditionem, *si caste vivat* : cum castitas per nuptias proprie non violetur, siquidem secundæ nuptiæ castæ sunt. 2^o Quoad neptem, etiam ipsi indulgendum videtur, licet deliquerit; quia noxa ejus mansit occulta, et communiter virgo reputatur. Neque enim præsumendum est fuisse mentem testatoris neptem a legato excludere, si quidpiam impudicum secreto commiserit. Neque ipsa videtur obliganda ut se ream manifestet, hæreditatem repudiando.

856. — *R. ad 3^m Quæ.* Parochus non videtur vituperandus. Puella ab illo designata potuit bene prædicta dote frui, licet non fuerit orphana proprie dicta, quia æquivalenter talis est. Voluit enim testator dotem dare puellæ miseræ, ut e periculo eriperetur. Ergo mens ejus impletur. Attamen, juxta multos auctores, si occurreret alia puella, æque misera et parentibus orbata, præferenda foret; quia, cum voluntas testatoris in sensu proprio adimpleri possit, in sensu latiori et improprio adimpleri non debet. Verum, non desunt etiam qui secus judicent. Etenim magis est misera quæ parentes inutiles et infirmos habet, quam illa quæ nullos prorsus habet. Majora enim pericula animi et corporis illi imminet, et proinde finis a testatore intentus reapse adimpletur. *S. Lig. n. 930, et alii communius.*

CASUS XIII.

LEGATA PROFANA.

Formis legalibus destituta.

1^o BACCHIDES, moriens dicit RODULPHO : Te constitui hæredem meum universalem, sed sponde mihi te soluturum esse hæc et illa legata erga proximos meos consanguineos, licet in testamento meo non sint consignata. Promittit RODULPHUS se ejus voluntati adamussim obsecuturum esse. Mortuo autem BACCHIDE, minime curat hæres de legatis persolvendis, quia, ait, formis legalibus carent.

HECTOR, hæres MATTHÆI ex testamento, novit per testes certæ fidei,

vel ex aliqua schedula secreto accepta, a se quædam legata profana esse solvenda. Renuit autem eis satisfacere, ex eo quod juxta legem ad id minime teneatur.

HINC :

QUÆR. 1° An RODULPHUS in primo casu legata profana solvere debeat?
2° An HECTOR in secundo casu?

SOLUTIO :

857. — R. ad 1^m Quærs. RODULPHUS certo tenetur ad solvenda prædicta legata, licet in testamento scripto non reperiantur, et viva voce tantum a testatore hæredi præscriptæ fuerint. Ratio deducitur ex contractu speciali, qui intervenit inter testatorem et hæredem. Etenim BACCHIDES non constituit RODULPHUM hæredem, nisi ea conditione, scilicet, ut legata solveret. Id vero adpromisit hæres : ergo, nisi conditio adimpleatur, fidem promissam non servat. Insuper promissione impedivit testatorem ne alio modo conderet testamentum, vel alia media tuta adhiberet, ita ut legata prædicta certo adimpleri possent. V. Comp. n. 819. — Recole dicta supra, n. 852.

858. — R. ad 2^m Quærs. Negative. HECTOR probabiliter non tenetur solvere legata sibi a testatore præscripta, seclusa conventionem vel promissione particulari, de qua agitur in hoc secundo casu. Ratio est, quia dispositiones illæ voluntatis ultimæ testatoris probabiliter sunt invalidæ, utpote formis legalibus destitutæ, etiam ante judicis sententiam : ergo habendæ sunt perinde ac si non existerent; nec obstat quod hæres certo cognoscat testatoris voluntatem quoad illas dispositiones, quia illa voluntas testatoris, licet urgeat ex lege naturali probabiliter tamen jure civili irritatur, ex eo quod conditionibus legitimis careat. S. Lig. n. 927. V. Comp. n. 817.

CASUS XIV.

LEGATA PIA INFORMIA 1°.

TUSSANUS, homo pius, vitæ valedicens, GERMANO filio suo, cui pinguem relinquit hæreditatem, enixe commendat ac præscribit ut ducentas Missas pro anima sua celebrari curet, et mille nummos in pauperes et alias pias causas designatas impendat. GERMANUS vero, mortuo patre, curat quidem decem Sacra fieri; at reliquas defuncti præscriptiones prætermittit, ex eo quod formis lege requisitis non vestiantur, nec proinde ad eas adimplendas in conscientia teneatur. Id vero rescisciens Confessarius ei absolutionem denegat, donec pia patris legata exsecutus fuerit.

HINC :

QUÆR. 1° An legata pia, etiam formis legalibus destituta, in foro conscientia solvi debeant?
2° An, stante casu, GERMANUS absolvi possit?

SOLUTIO :

859. — R. ad 1^m Quærs. Affirmative. Hæc sententia ut omnino certa habenda est, quæcumque fuerit olim hac de re controversia. Est communis doctrina cum S. Lig. n. 922 et seq.

Ratio est, quia piæ causæ ad Ecclesiam pertinent, ejusque subjacent jurisdictioni. Ecclesia autem omnino libera est et immunis a potestate civili in omnibus quæ suæ jurisdictioni subsunt.

Constat etiam ex Jure canonico in variis locis. Etenim sic legimus de testamentis, § 11 : Valet ultima voluntas ad pias causas coram duobus testibus. Iterum ibid. § 13 : Tenet testamentum, si quis extremam voluntatem suam alterius dispositioni committit, et dicitur testatus ad pias causas.

Eruitur etiam ex Conc. Trid., sess. 22, c. 8, de Reform., ubi Episcopi exsecutores piarum dispositionum constituuntur.

860. — Dicendum ergo cum Lugo : « Quando in ultima voluntate ali-
« quid relinquatur ad pias causas... (testamentum) valet, etiam sine
« juris solemnitate, ut constat ex c. Relatum 1, de testamentis, et pro-
« bant communiter Doctores quos referunt Lessius, Sanchez,
« Vasquez, et alii communiter. Hoc autem observandum est non solum
« in foro ecclesiastico, sed etiam in sæculari, quia Pontifex utrobique
« servandum præcipit, et potuit de jure præcipere propter potestatem
« quam habet dirigendi Principes temporales, in iis quæ ad fidem super-
« naturalem et ad bonum animæ spectant. »

Et addit Lugo : « 1° Sufficere, ad valorem testamenti ad causas pias,
« duos vel tres testes... 2° Hæredem si per schedulam, vel scripturam in-
« dubitatam defuncti, vel quia eum audivit, sciat ipsum statuisse quod res
« aliqua in usus pios daretur, licet testes non fuerint, obligari in con-
« scientia ad id exsequendum, quia, seclusa omni dispositione juris
« civilis, illud ad talem obligationem sufficeret : quare, cum omnis so-
« lemmitas juris civilis, et ejus necessitas sublata sit in his casibus, resul-
« tabit obligatio in conscientia hæredis. » Lugo, de Justitia, disp. 22,
n. 266, etc.

Concordat S. Ligorius, cujus hæc verba sunt : « Quoad dispositiones
« pias, certum est quod, si constat hæredi voluntas testatoris, sive per
« verba, sive per nutum, aut scripturam, tenetur hæres in conscientia,
« vel cedere hæreditatem loco pio, vel legata solvere. » S. Lig. n. 923
et seq.

861. — Constat etiam ex recenti responsione S. Pœnit. Andegavensi Canonico facta.

Postulatum.

« EUDORIUS, hæredibus necessariis destitutus, statuit partem bonorum
« in pia opera erogare. Ad hunc finem BONIFACIUM legatarium universa-
« lem instituit, per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem
« privatum BONIFACIO tradit in quo piam manifestat voluntatem..... BONI-
« FACIUS vero, mortuo Eudorio, integram hæreditatem servat, ex eo